Annus XIV – Vol. XIV 6 Februarii 1922 Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Nuncium electionis Summi Pontificis

De Benedictione a S. P. impertita, p. 94.

Acta SS. Congregationum: *S. C. de Disciplina Sacramentorum:* Praesumptae mortis coniugis, p. 96. - *S. C. de Propaganda Fide:* Episcopus Sangallensis renunciatur Praeses Piae Unionis pro Missionibus, p. 98. - Episcopus Osnabrugensis nominatur Vicarius Apostolicus Germaniae Septentrionalis, p. 99.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota:* Causae actae anno 1921, p. 100.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.
Administratio: Tipografia Poliglotta Vaticana. — Roma.

Pretium annuae subnotationis.
Pro Italia, Lib. 12. — Extra Italiam, *Frs.* 15.
Unius fasciculi, Lib. 2 —

« Bis fere in mense (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur »* (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

Annus XIV - Vol. XIV 6 Februarii 1922 Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE



ANNUNTIO VOBIS GAUDIUM MAGNUM

HABEMUS PAPAM

EM̃UM AC RM̃UM DOMINUM CARDINALEM

ACHILLEM RATTI

QUI SIBI NOMEN IMPOSUIT

PIUS XI

Laetissimum hoc praeconium ab Em̃o P. D. Caietano Bisleti, S. R. E. Cardinali Protodiacono, e superiore porticu patriarchalis Basilicae Vaticanae prolatum est feria II, die 6 Februarii 1922, hora 12,27.

Sua Santità PIO Papa XI, con tutte le riserve in favore dei diritti inviolabili della Chiesa e della Santa Sede, che ha giurato di asserire e di difendere, ha impartito la Sua prima benedizione dalla loggia esterna sulla piazza di San Pietro, con la particolare intenzione che la benedizione stessa sia diretta non solo ai presenti sulla piazza di San Pietro, non solo a Roma, all'Italia, ma a tutte quante le nazioni ed a tutte le genti, e porti a tutti l'augurio e l'annunzio di quella universale pacificazione che tutti così ardentemente sospirano.

Dal Vaticano, 6 febbraio 1922.

LUIGI SINCERO,
Segretario del Sacro Collegio.

Sanctissimus Dominus Noster PIUS Divina Providentia PP. XI, integre reservatis sanctissimis iuribus Ecclesiae et Apostolicae Sedis, quae, interposita iurisiurandi religione, asserere ac vindicare promisit, primam Suam benedictionem, e superiore porticu Basilicae Sancti Petri in forum prospicienti, populo impertivit, id praecipue Animo Suo intendens, ut haec eadem Benedictio non ad praesentes tantum in foro Sancti Petri, nec ad Almam solam Urbem, ad Italiam dumtaxat pertineat, verum etiam ad cunctas quotquot sunt in orbe terrarum Civitates et gentes extendatur, auspicium ferens et nuncium communis reconciliandae Pacis quam quidem omnium hominum animi tam impense exoptant.

Ex Aedibus Vaticanis, die 6 februarii 1922.

ALOISIUS SINCERO.
Sacri Collegii Secretarius.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

PRAESUMPTAE MORTIS CONIUGIS

18 novembris 1920

Ordinarius Z., in Hispania, supplici porrecto libello, Sacrae huic Congregationi casum exposuit praesumptae mortis cuiusdam A. A. V., transmisitque processum ad hunc finem confectum, expetens an uxori viri qui mortuus asseritur, alias inire nuptias permitti possit.

Omnibus perpensis, Sacra haec Congregatio rescripsit: « Ordinarius « canonicas inquisitiones complere velit ad normam instructionis S. C. « S. Officii a. 1868, *Matrimonii vinculo*. Si peractis enunciatis inquisitio- « nibus, iudicium sibi efformare non valeat, quo transitus ad alias nuptias « permittere queat, tunc omnia acta ad hanc S. Congregationem mittat ».

Ast idem Ordinarius respondit nihil amplius addi posse; deficere vero argumenta directa quae viri mortem demonstrent; sed, omnibus inspectis, fortasse non deficere indicia, ex quibus iure coniugis obitus erui possit. Nihilominus cum res incerta sibi videretur, iudicio Sacrae Congregationis eam libenter submisit.

In peracto processu habetur iuratum examen uxoris oratricis ac novem testium ad rem excussorum, et adduntur nonnulla exhibita documenta, praesertim quaedam epistola ab asserto defuncto scripta ad uxorem.

Porro, ut desumitur ex concordibus depositionibus fide dignis, A. A. V., agricola ex oppido P., dioecesis Z., circa exitum anni 1902 vel ineunte anno 1903, annuente uxore, negotiationis causa in Americam meridionalem se contulit, cum triginta annorum aetate esset et bona valetudine frueretur. Ac duos fere annos ipse transegit in urbe *Rosario de Santa Fé*, in Republica Argentina, ut scienter deponit testis I. A., qui ibidem cum ipso erat.

Ex ea urbe assertus defunctus epistolas ad uxorem et coniunctos continuatis vicibus misit: quin etiam eidem uxori quamdam pecuniae

summam, usque ad quingentas et quinquaginta hispanicas libellas, mittere curavit.

Sed repente, ex mense decembri anni 1905, nullam amplius de se notitiam praebuit; neque quidquam de ipso ex eo tempore rescitum est.

Praefatus testis I. A., qui, ut supra dictum est, cum illo convixit, refert eum, eodem exeunte anno 1905, in longinquam regionem, ad caedendas arbores, perrexisse, sed ex tunc nihil amplius in ipsa America de eo sciri potuisse.

Praeterea pater et mater oratricis aliique testes referunt matrem asserti defuncti vidisse olim epistolam a quodam eiusdem loci conscriptam, qui in Republica Argentina morabatur, suae familiae missam, in qua, inter alia, scribebat quemdam eiusdem loci non amplius fore rediturum ad fodendos lapides; quod habitum fuit velut nuncium mortis A. A. V.

Depositiones ipsorum parentum asserti defuncti non habentur; sed parochus ad iudicem retulit matrem ipsius in iudicium venire renuisse, cum nolit suam nurum novas inire nuptias; patrem vero cum quo locutus fuit, concordare cum iis quae testes retulerunt.

Insuper, uti testes unanimiter edicunt, assertus defunctus bonis moribus praeditus erat; religiose vivebat; uxorem, filiam ex ea genitam, parentes et coniunctos diligebat, prout etiam constat ex epistola, quam ipse die 17 decembris 1905 ad uxorem misit, quaeque tantummodo asservata est, et in actis profertur; ita nempe ut, si reapse non obierit, ipsius silentium deinceps explicari posse non videatur.

Nec defuerunt complures investigationes ad ipsum inveniendum institutae, sed semper in irritum cesserunt. Iam enim, pater ac mater oratricis, anno 1908, in ipsam Americam quoque profecti, inutiliter ibidem de genero exquisierunt; consanguinei ipsius A. A. V. frustra interrogaverunt concives ex America redeuntes; atque instante syndico natalis oppiduli, qui etiam in processu deposuit, Consul hispanicus in urbe *Rosario de Santa Fé* annis 1918 ac 1920 frustra et ipse indagines peragere curavit, huiusque responsio in actis continetur.

Ex his circumstantiis fama de obitu A. A. V. a testibus asseritur, quin videatur in commodum eorum quorum interest, fuisse concitata; uxor autem alteri se coniunxit, putans suum virum demortuum esse, et spe ducta se quamprimum novas nuptias legitime esse inituram.

Iamvero EE. PP. in generalibus comitiis habitis die 18 novembris 1920, omnibus circumstantiis mature perpensis, ad dubium: « An « oratrici permitti possit transitus ad alias nuptias in casu », responderunt: *Affirmative.*

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

DECRETUM

R. P. D. ROBERTUS BUERKLER, EPISCOPUS SANGALLENSIS, PRAESES PRO HELVETIA RENUNCIATUR PIAE UNIONIS CLERI A MISSIONIBUS.

Optimo sane consilio Helveticae nationis sollertissimi Antistites desideriis Summi Pontificis, ut opera pro missionibus exteris magis magisque ubique foveantur, obsecundare cupientes, illud sibi curandum censuerunt ut Piae Unionis Cleri a missionibus, quae in pluribus iam nationibus uberrimorum fructuum foecunditate floret, sodalitates instituerentur etiam in Helvetica regione.

Quapropter Sacra haec Congregatio Christiano Nomini Propagando, ut praedictae piae consociationis felicia sint exordia atque amplissima habeantur quamprimum in bonum missionum incrementa, per praesens decretum Praesidem eiusdem generalem pro universa regione Helvetica Illm̃um ac Rm̃um Dn̄um Robertum Bürkler, Episcopum Sangallensem, constituit atque nominat, cum omnibus iuribus ac privilegiis tali muneri adnexis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 3 octobris 1921.

G. M. Card. Van Rossum, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus, Archiep. Diocletanus, *Secretarius*.

II

DECRETUM

MUNUS ATQUE TITULUS VICARII APOSTOLICI GERMANIAE SEPTENTRIONALIS CONCEDUNTUR EPISCOPO OSNABRUGENSI PRO TEMPORE.

Vicariatus apostolici Germaniae septentrionalis administrationem usque ab anno Domini MDCCCXLI Rmo D. Episcopo Osnabrugensi pro tempore committere huic Sacrae Congregationi mos fuit; idem vero Rmus Ordinarius usque ad praesens tempus Pro-vicarii apostolici Missionum Germaniae septentrionalis titulo ornatus est, idque munus gessit. Cum autem Eminentissimorum Patrum huius Sacrae Congregationis in plenario concilio die XIV huius mensis habito, mens fuerit dictum Vicariatum firmius stabilire, iidem Eminentissimi Patres, eiusdem Rmi Ordinarii precibus annuentes, R. D. Guilelmum Berning, Episcopum Osnabrugensem, titulo atque munere Vicarii apostolici Germaniae septentrionalis decorandum censuere. Id autem propositum Ssmo Domino Nostro Benedicto divina Providentia Papae XV ab infrascripto huius Sacrae Congregationis Secretarium, in audientia eiusdem diei relatum, Sanctitas Sua benigne approbare confirmareque dignata est simulque decretum hoc edi mandavit.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die XV novembris anni Domini MCMXXI.

G. M. CARD. VAN ROSSUM, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† P. Fumasoni-Biondi, archiep. Diocletan., *Secretarius*.

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

I

Causae in Tribunali S. R. Rotae anno 1921 actae, quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva.

I. *N. N.* (sub secreto). - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: I. Prior, ***Ponens,*** F. Cattani Amadori, I. Grazioli.
Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.
Advocatus: V. Sacconi.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Definitio die 8 ianuarii data: « Negative ».

II. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite consanguinitatis.*

Turnus Rotalis: R. Chimenti, ***Ponens,*** M. Massimi, I. Grazioli.
Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.
Advocatus: H. Benvignati.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Definitio die 12 ianuarii data: « Affirmative ».

III. *N. N.* (sub secreto). - DEPOSITI AD PIAS CAUSAS.

Turnus Rotalis: I. Prior, ***Ponens,*** F. Cattani Amadori, P. Rossetti.
Promotor iustitiae: R. Vicentini.
Advocati: A. D'Alessandri, C. Astorri.
Dubia: « I. An constet de nullitate sententiae in Curia *N. N.* pro« latae. — II. An Dominus *Y. Z.* summam libellarum acceperit a Do« mina *X* pro instituto *L.*, eidemque tradere teneatur ».

Definitio die 18 ianuarii data: « Ad I negative. — Ad II affirma« tive simul cum fructibus legalibus ab anno ... inclusive, et detractis « expensis ».

IV. Bergomen. - Reditus capellaniae.

Turnus Rotalis: F. Cattani Amadori, *Ponens,* P. Rossetti, R. Chimenti.

Advocati: A. D'Alessandri, V. Sacconi.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 29 iulii 1919 sit confirmanda « vel infirmanda in casu ».

Definitio die 26 februarii data: « Sententiam Rotalem diei 29 iulii « a. 1919 esse infirmandam; seu Capellano loci *Capannelle* non spectare « usumfructum praedii, de quo agitur ».

V. Florentina. - Nullitatis matrimonii, *ex capite amentiae.*

Turnus Rotalis: F. Cattani Amadori, P. Rossetti, *Ponens,* R. Chimenti.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: O. Negri.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Definitio die 16 martii data: « Negative ».

VI. *N. N.* (sub secreto). - Nullitatis matrimonii, *ex capite conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: R. Chimenti, *Ponens,* M. Massimi, I. Grazioli.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: V. Pozzan.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Definitio die 8 aprilis data: « Affirmative ».

VII. Vicariatus Apostolici Oceaniae centralis. - Nullitatis matrimonii, *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: I. Prior, *Ponens,* F. Cattani Amadori, I. Florczak.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: N. Boattini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii ».

Definitio die 9 aprilis data: « Affirmative ».

VIII. *N. N.* (sub secreto). - Iurium et diffamationis.

Turnus Rotalis: R. Chimenti, M. Massimi, *Ponens,* I. Grazioli.

Promotor iustitiae: R. Vicentini.

Advocati: T. Ambrosetti, V. Sacconi.

Dubia: « I. An et quantum parochus *X* teneatur solvere RR. PP. « domus *N. N.* in retributionem operae ab iis parocho praestitae, anno ....

« in casu. — II. An constet de iniuria RR. PP. irrogata vel de eorum « bona fama laesa per parochum *X*, ita ut locus sit satisfactioni damno- « rum reparationi, atque poenarum inflictioni ».

Definitio die 27 aprilis data: « Ad I affirmative, et parochus *X* « solvat RR. PP. domus *N. N.* in retributionem operae ab iis praestitae « anno ... lib. ital. ... — Ad II. Constare de RR. PP. bona fama laesa « per parochum *X*, atque locum esse iuxta modum in sententiae exten- « sione explicandum, satisfactioni et damnorum reparationi, non vero « poenarum inflictioni ».

IX. Patavina. - Nullitatis matrimonii, *ex capite amentiae.*

Turnus Rotalis: P. Rossetti, *Ponens.* R. Chimenti, M. Massimi.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: T. Ambrosetti.

Dubium: « An sententia Rotalis sit confirmanda vel infirmanda « in casu ».

Definitio die 10 maii data: « Sententiam Rotalem esse confirman- « dam, seu non constare de nullitate matrimonii ».

X. Mohilovien. - Nullitatis matrimonii, *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: I. Prior, *Ponens,* F. Cattani Amadori, P. Rossetti.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocati: V. Sacconi, C. Astorri.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 13 maii data: « Affirmative ».

XI. *N. N.* (sub secreto). - Nullitatis matrimonii. Quaestio incidentalis.

Turnus Rotalis: M. Massimi, *Ponens,* F. Solieri, I. Florczak.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocati: C. Astorri, H. Benvignati.

Dubium: « An causa admittenda sit ad novum examen ».

Definitio die 13 maii data: « Affirmative ».

XII. *N. N.* (sub secreto). - Nullitatis matrimonii, *ex capite impotentiae.*

Turnus Rotalis: P. Rossetti, *Ponens,* R. Chimenti, M. Massimi.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: V. Sacconi.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 28 maii data: « Affirmative ».

XIII. Vicariatus apostolici Insularum Gilbertin. - Nullitatis matrimonii, *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: R. Chimenti, *Ponens,* M. Massimi, I. Grazioli.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: T. Ambrosetti.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 1 iunii data: « Affirmative ».

XIV. Nicien. - Nullitatis matrimonii, *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: F. Cattani Amadori, *Ponens,* P. Rossetti, R. Chimenti.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocati: N. Ferrata, V. Sacconi.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 22 iunii data: « Affirmative ».

XV. Parisien. - Nullitatis matrimonii, *ex capite clandestinitatis.*

Turnus Rotalis: P. Rossetti, *Ponens,* R. Chimenti, M. Massimi.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: V. Sacconi.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 5 maii 1914 sit confirmanda « vel infirmanda in casu ».

Definitio die 23 iunii data: « Confirmandam esse sententiam Ro- « talem, seu non constare de nullitate matrimonii ».

XVI. Transilvanien. - Nullitatis matrimonii, *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: R. Chimenti, *Ponens,* M. Massimi, I. Grazioli.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: A. Wynen.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 5 iulii data: « Affirmative ».

XVII. Moguntina. - Nullitatis matrimonii, *ex defectu consensus.*

Turnus Rotalis: F. Cattani Amadori, *Ponens,* P. Rossetti, R. Chimenti.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: H. Benvignati.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 14 iulii data: « Negative ».

XVIII. Philadelphien. - Nullitatis matrimonii, *ex defectu consensus.*

Turnus Rotalis: I. Prior, *Ponens,* I. Sole, E. Schneider.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocati: V. Sacconi, A. Aloisi-Masella.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 9 februarii 1920 sit confir- « manda, vel infirmanda in casu ».

Definitio die 16 iunii data: « Confirmandam esse sententiam Rota- « lem, seu constare de nullitate matrimonii ».

XIX. Hyderabaden. - Nullitatis matrimonii, *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: M. Massimi, *Ponens,* I. Grazioli, F. Parrillo.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: V. Pozzan.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 2 augusti data: « Affirmative ».

XX. Parisien. - Dispensationis matrimonii.

Turnus Rotalis: P. Rossetti, *Ponens,* R. Chimenti, M. Massimi.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: N. Ferrata.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 17 augusti 1920 sit confir- « manda vel infirmanda in casu ».

Definitio die 3 augusti data: « Confirmandam esse sententiam Ro- « talem, seu consilium praestandum esse Ssmo pro dispensatione super « matrimonio rato et non consummato ».

XXI. Camenecen. - Nullitatis matrimonii, *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: F. Cattani Amadori, *Ponens,* P. Rossetti, R. Chimenti.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: V. Sacconi.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 6 augusti data: « Affirmative ».

XXII. *N. N.* (sub secreto). - Nullitatis matrimonii, *ex capite clandestinitatis.*

Turnus Rotalis: M. Massimi, *Ponens,* I. Grazioli, F. Parrillo.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocati: N. Ferrata, V. Sacconi.

Dubium: « I. An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 6 augusti data: « Negative ».

XXIII. Parisien. - Nullitatis matrimonii, *ex capite conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: F. Solieri, *Ponens,* I. Florczak, I. Sole.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: N. Ferrata.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate in casu ».

Definitio die 11 augusti data: « Affirmative ».

XXIV. Parisien. - Nullitatis matrimonii, *ex capite conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: I. Grazioli, *Ponens,* F. Parrillo, F. Solieri.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: A. D'Alessandri.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 11 augusti data: « Negative ».

XXV. De Manila. - Legatorum piorum.

Videntibus omnibus.

Promotor iustitiae: F. Bracci.

Advocati: F. Santi, T. Ambrosetti.

Dubium: « An bona de quibus in clausula 116 testamenti L. Gu-« mamela. Conventui de Candába tributa sint intuitu PP. Augustinia-« norum, ita ut ad ipsos, non ad missionem seu paroeciam, eorundem « dominium pertineat in casu ».

Definitio die 16 augusti data: « Bona de quibus in clausula 116 « testamenti L. Gumamela, conventui de Candába tributa esse intuitu « PP. Augustinianorum, ita ut ad ipsos, non ad missionem seu paroe-« ciam eorundem dominium pertineat in casu ».

XXVI. Vicariatus apostolici Tonkini orientalis. - Nullitatis matrimonii, *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: F. Cattani Amadori, *Ponens,* P. Rossetti, R. Chimenti.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: A. Carabini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 18 augusti data: « Affirmative ».

XXVII. *N. N.* (sub secreto). - EXCOMMUNICATIONIS.

Turnus Rotalis: M. Massimi, *Ponens,* I. Grazioli, F. Parrillo.

Promotoris iustitiae substitutus: C. Conte.

Advocatus: H. Benvignati.

Dubium: « An constet actorem in excommunicationem incurrisse « in casu ».

Definitio die 18 augusti data: « Negative ».

XXVIII. *N. N.* (sub secreto). - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite affinitatis illicitae.*

Turnus Rotalis: I. Prior, *Ponens,* F. Cattani Amadori, P. Rossetti.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: A. Carabini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 12 novembris data: « Negative ».

XXIX. CADURCEN. - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: I. Prior, *Ponens,* F. Cattani Amadori, P. Rossetti.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: N. Patrizi.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 7 iunii 1920 sit confirmanda « vel infirmanda in casu ».

Definitio die 30 novembris data: « Sententiam Rotalem esse con- « firmandam, seu constare de nullitate matrimonii ».

XXX. *N. N.* (sub secreto). - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite impotentiae.*

Turnus Rotalis: R. Chimenti, *Ponens,* M. Massimi, I. Grazioli.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: H. Benvignati.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 6 decembris data: « Affirmative ».

XXXI. LINGONEN. - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: P. Rossetti, *Ponens,* R. Chimenti, M. Massimi.

Vinculi Defensor substitutus: C. Conte.

Advocatus: A. Carabini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii in casu ».

Definitio die 17 decembris data: « Affirmative ».

XXXII. *N. N.* (sub secreto). - DISPENSATIONIS SUPER RATO.

Turnus Rotalis: M. Massimi, *Ponens,* I. Grazioli, F. Parrillo.

Vinculi Defensor: Henr. Quattrocolo.

Advocatus: V. Sacconi.

Dubium: « An consilium praestandum sit Ssmo pro dispensatione « a matrimonio rato et non consummato ».

Definitio die 30 decembris data: « Affirmative ».

II

Causae quae, eodem anno 1921, transactae fuerunt vel peremptae, vel quae, absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt.

I. BURDIGALEN. - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite clandestinitatis,* coram R. P. D. P. Rossetti.

Attenta procuratoris actoris declaratione, appellationem non prosequendi, die 3 februarii, R. P. D. Ponens mandavit acta causae in archivo S. Tribunalis esse reponenda.

II. NOLANA. - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite vis et metus,* coram R. P. D. I. Grazioli.

Attenta morte rei conventi, die 9 martii 1921, causa finem habuit.

III. PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite vis et metus,* coram R. P. D. I. Grazioli.

Cum actrix, licet iterum iterumque monita, suum procuratorem non constituit, nec comminationi eidem inflictae, intra tempus statutum, respondisset, R. P. D. Ponens, die 2 aprilis, causam declaravit desertam.

IV. MOHILOVIEN. - NULLITATIS MATRIMONII, *ex capite defectus consensus.*

Die 9 aprilis, RR. PP. DD. I. Prior, *Ponens,* F. Cattani Amadori et P. Rossetti, Auditores de turno, sequens tulerunt decretum:

« Attentis: 1) Bina sententia conformi, qua constare de nullitate « matrimonii pronunciatum est; 2) appellatione a Vinculi Defensore « Curiae Mohilovien. ad N. S. Ordinem interposita; 3) Voto Defensoris « Vinculi ex officio N. S. Tribunalis, quo appellationem non esse pro- « sequendam censet.

« Nos, Auditores de turno, diligenter perlectis et ponderatis actis « causae, voto adhaerentes Vinculi Defensoris ex officio, declaramus

« duplicem sententiam conformem pro nullitate matrimonii consuetos « effectus habere ad normam iuris ».

V. Tergestina. - Nullitatis matrimonii, *ex impedimento ligaminis.*

Die 23 iunii, RR. PP. DD. I. Prior, *Ponens*, F. Cattani Amadori et P. Rossetti, Auditores de turno, sequens tulerunt decretum:

« Attentis Vinculi Defensoris voto et praesertim confessione appel- « lantis, qui nempe aperte fatetur mulierem Carolam ligatam esse « vinculo ligaminis matrimonio prius contracto cum Iosepho B. adhuc « vivente, iudices infrascripti Rotales appellationem a viro Carolo H. « interpositam contra sententiam Curiae Tergestinae diei 1 martii 1921, « ad tramitem can. 1799 § 1 reiiciendam esse censent, et eandem reii- « ciunt. Posita enim extra controversiam validitate prioris matrimonii « inter Carolam B. et Iosephum B., necessario sequitur nullitas subse- « quentis matrimonii a muliere Carola B. cum Carolo H. attentati, ac « proinde non esse locum appellationi prosequendae ».

VI. Vratislavien. - Diffamationis seu competentiae, coram R. P. D. I. Grazioli.

Cum ex una parte nulla in casu obtenta fuerit Commissio Pontificia, ac ex altera actor nec appellaverit, nec appellare potuerit contra decretum diei 23 decembris 1918 Tribunalis Wratislaviensis, eo quod fuerit eidem favorabile, R. P. D. Ponens, die 2 aprilis, decrevit recursum ab eodem actore apud Rotam interpositum non esse recipiendum.

VII. Asten. - Conventionis, coram R. P. P. Rossetti.

Attenta compositione inter partes contendentes mutuo consensu admissa, D. Ponens, die 14 iulii, decrevit litem esse finitam, actaque causae esse reponenda.

VIII. Paranen. - Iurium, coram R. P. D. I. Prior.

Attenta concordia inter partes inita, die 16 novembris D. Ponens declaravit litem esse finitam.

IX. Covingtonen. - Solutionis, coram R. P. D. I. Prior.

Lite contestata et dubiis concordatis, concordia inter partes inita est; quapropter - ad tramitem tit. XVIII, lib. IV, cap. I, *Cod. Iuris Can.* - D. Ponens, die 17 novembris, declaravit litem inter eosdem esse finitam.

Ex Cancellaria, 30 ianuarii 1922.

L. ✠ S. T. Tani, *Notarius.*